

*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,  
et quæ sunt Dei Deo.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

22, 15-21

In illo témpore:

<sup>15</sup> Abeúntes pharisæi  
consílium iniérunt, ut cáperent Iesum in sermóne.

<sup>16</sup> Et mittunt ei discípulos suos cum herodiánis  
dicéntes:

«Magíster, scimus quia verax es  
et viam Dei in veritáte doces  
et non est tibi cura de áliquo;  
non enim réspicis persónam hóminum.

<sup>17</sup> Dic ergo nobis quid tibi videátur:  
Licet census dare Cæsari an non?».

<sup>18</sup> Cógnota autem Iesus nequítia eórum,  
ait:

«Quid me tentátis, hypócritæ?

<sup>19</sup> Osténdite mihi nomísma census».

At illi obtulérunt ei denárium.

<sup>20</sup> Et ait illis:

«Cuius est imágo hæc et suprascríptio?».

<sup>21</sup> Dicunt ei:

«Cæsaris».

Tunc ait illis:

«Réddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari  
et, quæ sunt Dei, Deo».

Verbum Dómini.